209

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-quintâ mensis Januarii, Anno Domini M. DCC. XLVIII.

M. FRANCISCO-DAVID HERISSANT, Regiæ Scientiarum ac Humaniorum Litterarum Academiæ Andegavensis Socio, & Chirurgiæ Professore Vicario, Doctore Medico, Præside.

An permultis & compositis indicationibus pauca & simplicia Medicamenta?

I.

QUO simpliciora sunt opera, eò pluris facienda. Nos autem ita cæci sumus, ut, aliquid inventuri, simpliciores vias primùm vix animo fingamus: plerumque molimentis magnis res ædificamus operosissimas, quæ mole ruunt suâ. Quid enim factum fuit tot ac tantis Præparationibus Pharmaceuticis, quas Galenici cum Arabicis in officinas induxere? Pars multa jam obsolevit. Illæ, in quibus militat numerosa Remediorum cohors, tam frequentes sunt, ut è centenis vix una * promineat, de quâ magnificè prædicandum sit. Quemadmodùm sanitati conservandæ cibi compositiores non conveniunt, sic illi restituendæ minùs idonea sunt Remedia, quæ Pharmacorum abundantiâ circumfluunt. Fabulæ: inquies? Fabulæ .... an Rustici qui humili victu & Medicamentis naturalibus tantummodò utuntur, pejùs se habent, aut à morbo vires ægtiùs reficiunt? An in ipsis Oppidulis quæ Pharmacopolas non habent, cives plures ægrotant, aut majori numero commoriuntur? Certè quidem Divina Providentia malè consulere in publicum videretur, si solis urbium nobiliorum civibus & opulentis præsentissima Remedia concederet.

* Hoffman.

II.

AGE, age dicas quorsùm spectet Ars Pharmaceutica, dum è permultis Medicaminibus congregatis nova & inaudita compingit? Nonne potissimùm ut, variis in eodem Remedio virtutibus sociatis, plures simul implere indicationes liceat? Nil porrò tam inane, quàm iste apparatus. Omne Medicamen simplex trinis, quaternis, imò ingens multitudo denis, duodenis virtutibus primariis scatet: atqui, v. g. quod duodenis facultatibus pollet, satisfacere potest variis indicationum concursibus, qui simul sumpti duo millia superant. Hinc patet virtutum conjunctiones in Medicamentis simplicibus copiosissimas esse; ad artificiales autem non tam sæpè confugiendum. Hi profectò peccare videntur, qui Remedia ipsismet indicationibus compositis compositiora accersere solent. Nunc opportunum foret præcipuas recensere indicationum *combinationes*, necnon omnes virtutum in Medicamentis simplicibus conjunctiones, ut, iis ritè comparatis, innotesceret, quantùm laudis Præparationibus Pharmaceuticis detrahendum sit. Sed hoc opus, hic labor est.

III.

CÆTERUM rimari satis erit illos virtutum binarum in Medicamentis simplicibus concursus, qui respondent frequentioribus binarum indicationum *combinationibus*, quas unà implere Medici gestiunt. Etenim, si evictum fuerit virtutum binarum concursus maximi momenti, paucis exceptis, in Medicamentis nativis & simplicioribus nidulari, indè elucebit conjunctis indicationibus

sæpiùs sufficere posse curtam eorum supellectilem. Quaternis indicationibus, v. g. sufficient saltem bina Medicamenta, senis trina: quæ quidem in praxi plerumque omne ferre punctum queunt. Sed, antequam copulationes virtutum binarum Medicaminibus simplicibus insitas recenseamus, ipsas virtutes solitarias præmittere operæ pretium est. Quadraginta facultates primariæ Medicamentis internis ad summùm tribuendæ: Relaxans; Astringens; Stimulans; Nervina; Cardiaca; Demulcens; Antalkalina; Antacida; Incrassans; Diluens; Tenuans; Aperiens; Incidens lymphæ; Tenuans sanguinis grumefacti; Tenuans bilis; Resolvens lactis grumefacti; Nutritia; Absorbens; Calefaciens; Refrigerans; Humectans; Siccans; Stomachica; Emetica; Cathartica; Diuretica; Sudorifera; Sialogoga; Expectorans; Emmenagoga; Narcotica; Alexipharmaca; Febrifuga; Antivenerea; Anthelminthica; Antispasmodica; Antihysterica; Antiepileptica; Antiscorbutica; Antiseptica. Quatuordecim autem circiter virtutes principes insunt Topicis: Stimulans; Relaxans; Astringens; Calefaciens; Refrigerans; Absorbens; Obturans; Sopiens; Resolvens (huc referuntur facultates resolvendi lympham, lac, sanguinem); Detergens; Exsiccans; Demulcens; Rodens; Condiens. Harum autem virium varias conjuctiones, si binas quæsieris, habes in Medicamentis suppositis.

I V.

* Vox *ibid.* refertur ad medicamen ultimò supradictum.

CUM *vi relaxante*, concurrit vis demulcens, in Aqueis, diluens, ibid.* humectans, ibid. temperans, ibid. incrassans, in Radice Althææ, &c. nutritia, in Orysâ: tenuans, in quibusdam Aquis mineralibus, ut Cauteriensibus: aperiens, ibid. cathartica, in Cassiâ: narcotica, in Opio: anthelminthica, in Oleis. CUM *virtute astringendi*, conjugatur vis stimulans, in Acidis: antalkalina, ibid. refrigerans, ibid. (exceptis Acidis volatilibus): antiscorbutica, ibid. febrifuga, ibid. & in Astringentibus-amaris, præsertim Cortice Peruviano: vermifuga, ibid. nervina, in Vinis rubris fragrantibus, v. g. Campano, in Balsamo Peruviano & cæteris Balsamis nativis: cardiaca, in Nuce moschatâ, Granis Kermes: demulcens, in Acaciâ Germanicâ, Radice Symphyti: antacida, in Cretâ, Lapidibus Cancrorum: absorbens, ibid. incrassans, ibid. & in præsentissimis ferè omnibus Astringentibus: tenuans, in Herniariâ, Radice Filipendulæ, Urticâ: tenuans bilis, in Radice Lapathi sylvestris: calefaciens, in Astringentibus tum amaris, tum sudoriferis: stomachica, in Kinakinâ, Rheo: diuretica, in Astringentibus ferè omnibus, singulariter in quibusdam v. g. Urticâ, Herniariâ: emmenagoga, in Martialibus: aperiens, in Vitriolicis, Agrimoniâ: resolvens sanguinis grumefacti, in Radice Polygonati, Bugulâ, Brunellâ & aliis hujusmodi traumaticis: nutritia, in multis Vinis, ut Burgundo: exsiccans, in Astringentibus, quæ sunt vel diuretica, vel sudorifera, vel cathartica: cathartica, in Myrobalanis, Rhabarbaro: sudorifera, in Radicibus Bistortæ & Tormentillæ: expectorans, in Olibano & Balsamis nativis: antiseptica, in Acidis, necnon Astringentibus quæ amara sunt vel aromatica: narcotica, in Opio (quamvis Papavera non astringant, hoc nomine possunt salutari, quòd præcipuum Astringentium effectum, nempè excretionum imminutionem sortiuntur). CUM *virtute stimulandi*, vis refrigerans, in Acidis fixis v. g. succo Limonum, Spiritu Vitrioli: alia quæcumque facultas, paucis exceptis *combinatur*. CUM *vi nervinâ*, facultas cardiaca, in Cinnamomo & cæteris Cardiacis egregiis: tenuans, ibid. & in aliis, ut Radicibus Enulæ campanæ, Caryophyllatæ: resolvens sanguinis grumefacti, in Hederâ terrestri: tenuans bilis, in iis quæ cum oleo essentiali blandam amaritiem nectunt: stomachica, in Menthâ: emmenagoga, ibid. calefaciens, in omnibus Nervinis: diuretica vel diaphoretica, ibid. (pro dosi & exhibendi ratione): sudorifera, in Radice Imperatoriæ: alexipharmaca, ibid. & Cardiacis ferè omnibus: siccans, ibid. expectorans, in Hyssopo, Balsamis nativis: antispasmodica, in Floribus Aurantiorum, Lilii Convallium: antihysterica, ibid. antiepileptica, in Radice Valerianæ: antiseptica in omnibus Nervinis, præsertim amaris, v. g. Menthâ. CUM *vi cardiacâ*, virtus stomachica, in Oleis Aromatum, Vinis rubris & cæteris Cardiacis præstantioribus: tenuans, ibid. resolvens sanguinis grumefacti, ibid. calefaciens ibid. (frigida enim è numero Cardiacorum propriè dictorum deturbanda esse videntur): diaphoretica vel sudorifera, ibid. siccans, ibid. antiseptica, ibid. alexipharmaca, in plerisque Cardiacis, iis potissimùm quæ sudorem potenter movent; antispasmodica, in plerisque Cardiacis, v. g. Melis-

sâ: antihyſterica, ibid. aperiens, in Flavedine Aurantiorum & cæteris Cardiacis-amaris: tenuans bilis, ibid. anthelminthica, ibid. expectorans, in Croco, Radice Angelicæ. CUM *facultate demulcendi*, vis ſtomachica, in Piſtaciis: quæcumque virtus, ferè ut in attic. 1°. CUM *vi antalkalinâ*, virtus refrigerans, in Spiritu Vitrioli & aliis Acidis fixis: incraſſans, ibid. diuretica, ibid. antiſeptica, ibid. CUM *virtute antacidâ*, vis tenuans, in Alkalinis: calefaciens, ibid. diuretica, ibid. ſudorifera, in Alkali-volatilibus: incraſſans, in Cretâ, Bolo Armenâ: abſorbens, ibid. CUM *vi incraſſandi*, vis abſorbens, in pleriſque Abſorbentibus: refrigerans, in omnibus Incraſſantibus. CUM *vi diluente*, facultas tenuans, in decoctis Aperientibus: refrigerans, in Aquâ: humectans, ibid. ſtomachica, in Aquis mineralibus Ferrugineis: diuretica, in omnibus Aperientibus dilutis: cathartica in Aquis Vitriolicis catharticis. CUM *vi tenuante*, vis aperiens, in omnibus & ſingulis Aperientibus: abſorbens, in Antimonio Diaphoretico; calefaciens, in pleriſque Tenuantibus: ſiccans, ibid. Cathartica, in Catharticis ferè omnibus: diuretica, in Radicibus Aperientibus, Salibus non acidis: antivenerea, in Mercurio: ſialogoga, ibid. expectorans, in Aſellis & cæteris Expectorantibus: emmenagoga, in Amaris, præſertim quæ aromatica ſunt: febrifuga, ibid. & in Cortice Peruviano: vermifuga, in Mercurialibus: Antiſpaſmodica, in Antiſpaſmodicis ferè omnibus: antihyſterica, ibid. antiepileptica, ibid. ſudorifera, in Radicibus amaris-acribus-aromaticis. CUM *vi aperiente*, vis incidens lymphæ, in Antimonialibus, Viperis: ſtomachica, in Aquis mineralibus utriſque, Salibus neutris: diuretica, in Radicibus Eryngii, Petroſelini: expectorans, in Radicibus Helenii, Millepedibus: Cathartica, in permultis Aquis mineralibus. CUM *vi incidendæ lymphæ*, virtus antivenerea, in Mercurio: ſialogoga, ibid. ſiccans, ibid. anthelminthica, ibid. Cathartica, in Purgantibus Phlegmagogis: ſudorifera, in Lignis ſudoriferis: expectorans, in Aſellis: antiſpaſmodica, in Cinnabari. CUM *virtute reſolvendi ſanguinis grumeſacti*, vis Cathartica, in ipſis Catharticis ferè omnibus: ſudorifera, in pleriſque Sudoriferis: diuretica, in Hyperico: emmenagoga, ibid. expectorans, in Hederâ terreſtri. CUM *vi tenuandæ bilis*, facultas ſtomachica, in Gentianâ, Chelidonio majori: Cathartica, in Aloë, Rheo: calefaciens, ibid. ſiccans, ibid. anthelminthica, ibid. diuretica, in Amaris, Saponaceis, Biliofis: expectorans, in Radice Enulæ campanæ. CUM *virtute reſolvendi lactis grumeſacti*, virtus ſtomachica, in Seminibus Fœniculi, Aniſi: ſudorifera vel diaphoretica in Floribus Sambuci. CUM *facultate nutritiâ*, variæ virtutes ſociantur (Vid. Theſ. noſtram Quodlibetar. *An alimentis** &c.) CUM *vi abſorbendi*, virtus calefaciens, in Antimonio Diaphoretico: expectorans, ibid. ſudorifera, ibid. ſiccans, ibid. refrigerans, in Abſorbentibus ferè omnibus: alexicaca, in Lapide Bezoardico foſſili & Bezoar Animalium. CUM *virtute calefaciendi*, facultas exſiccans, in omnibus Calefacientibus: ſtomachica, in Caffè & Liquoribus ſpirituoſis: Cathartica, in Jalapâ, Scammonio, Colocynthide: diuretica, in Spiritu Terebinthinæ, Salibus alkali utriſque: ſudorifera, in omnibus Sudoriferis: expectorans, in Gummi-reſinis, Radice Ari & cæteris Expectorantibus: narcotica, in Opio. CUM *vi refrigerante*, vis humectans, in Malacticis: diuretica, in Acidis fixis: ſiccans, ibid. febrifuga, ibid. antiſcorbutica, ibid. Cathartica, in Tamarindis. CUM *virtute humectandi* fiunt *combinationes*, ut in art. Relaxan. CUM *vi ſiccante*, vis ſtomachica, in Pipere, Zinzibere, Liquoribus ardentibus. Siccandi facultas jungitur cum omnibus Evacuantibus efficaciſſimis. CUM *virtute ſtomachicâ*, vis Cathartica, in Aloe, Rhabarbaro: diuretica, in Baccis Juniperi, Salibus androgynis v. g. Sale vegetabili: expectorans, in Radicibus Angelicæ, Zedoariæ: ſudorifera, ibid. alexicaca, ibid. tenuans, ibid. aperiens, in Aquis mineralibus, Radice Leviſtici: tenuans bilis, ibid. emmenagoga, in Menthâ, Praſſio, Baccis Lauri: febrifuga, in Centaurio minori, Gentianâ, Kinakinâ: anthelminthica, ibid. antiſeptica, ibid. & Aromaticis: antiſcorbuta, in Lepidio, Fumariâ. CUM *vi emeticâ*, vis Cathartica, in Ipecacuanhâ, Tartaro ſtibiato. CUM *vi Catharticâ*, virtus diuretica, in Aquis mineralibus quæ leviter alvum purgant, ſudorifera, in ipſis Catharticis (ſed egregiis, quorum actionis pars ad cutim arte derivatur). CUM *facultate ſudoriferâ*, vis expectorans, in Kermes minerali: emmenagoga, in Plantis amaris-acribus-aromaticis: antivenerea, in iis quæ Ligna ſudorifera appellantur: hyſterica, in Spiritu

*An. 1747.

C. C. & cæteris Alkali-volatilibus. Cum *vi expectorante*, vis emmenagoga, in Croco, Myrrhâ, Radice Aristolochiæ: narcotica, in Floribus Papaveris Rhæados; alexipharmaca, in Radicibus Petasitidis, Imperatoriæ: febrifuga, in Carduo Benedicto; antiscorbutica, in Erysimo. Cum *virtute sialogogâ*, vis antivenerea, in Mercurio. Tandem vis emmenagoga in multis Medicamentis cum virtute antihystericâ concurrit, v. g. in Castoreo, Sclareâ, Artemisiâ, Gummiresinis.

V.

Quoad Topica. Cum *vi stimulante*, quæcumque facultas *combinata* reperitur, exceptis quæ repugnant. Cum *vi relaxante*, vis refrigerans, in Aqueis, Adiposis, Mucilaginosis: obturans, in Emplastris unctuosis: resolvens in Melle, Farinis, Croco: sopiens, in Plantis Narcoticis. Cum *vi astringente*, vis refrigerans, in Rosis rubris, Aquâ Plantaginis: demulcens, in Radice Symphyti: absorbens, in Bolo Armenâ, Terrâ sigillatâ: resolvens, in Vino, Spiritu Vini: detergens, in Vitriolo, Aloë: exsiccans, ibid. Cum *vi calefaciente*, virtus resolvens, in Resolventibus ferè omnibus: pleraque Topica calefaciendi virtute pollent. Cum *facultate refrigerandi*, vis absorbens, in Plumbo usto: demulcens, in Sale Saturni: detergens, ibid. exsiccans, ibid. & in Cineribus Plumbi: condiens, in Salibus acidis fixis. Cum *vi absorbendi*, virtus exsiccans, in Conchis & Plumbo ustis, & cæteris Absorbentibus: rodens, in Calce. Cum *vi sopiendi*, virtus resolvens, in Plantis Narcoticis, v. g. Hyoscyamo, Cicutâ, Opio. Cum *virtute resolvendi*, vis detergens, in Absynthio, Fellibus Animalium: exsiccans, in Myrrhâ, Thure, Colophoniâ: condiens, ibid. & Spiritu Vini: demulcens, in Seminibus Fænu-Græci, Bono Henrico. Cum *vi detergendi*, vis exsiccans, in Tuthiâ, Aquâ Calcis: demulcens, in Farinâ Fabarum, Saccharo Saturnino: rodens, in Lapide Infernali: condiens, in Balsamis nativis. Cum *facultate siccandi*, vis rodens, in omnibus Causticis: condiens, in Aloe, Thure, Myrrhâ.

Patet igitur præcipuas virtutum binarum conjunctiones Medicamentis simplicibus insitas esse. Quoniam autem deficiunt in Medicamentis naturalibus quædam *combinationes*, ut virtutis Narcoticæ, cum Catharticâ aut Cardiacâ, Cardiacæ, cum Emeticâ, &c. Ars quandoque in auxilium Naturæ vocatur, non sine prospero successu; sed, quod animadvertendum est, artificiales conjunctiones eò meliores sunt, quò simpliciores.

Ergò permultis & compositis indicationibus pauca & simplicia Medicamenta.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius Le Camus.	*M. Petrus Arcelin.*	*M. Joannes Besse, Dotariæ Hispaniarum Reginæ, dum viveret, Medicus primarius.*
M. Claudius Bourdier de la Moultere.	*M. Petrus Chevalier.*	*M. Antonius de Jussieu, Regi à Consiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Prussiæ Socius, Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor ac Demonstrator.*
M. Guillelmus Ruellan.	*M. Franciscus Bernard.*	*M. Joannes-Baptista-Thomas Martinenq, Saluberrimæ Facultatis Decanus.*

Proponebat Parisiis ALEXANDER-DIONYSIUS DIENERT, Meldensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis, Baccalaureus, A. R. S. H. 1748, à sextâ ad meridiem.

Typis Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1748.